



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Coxiense, Caziense vel Caczesiense illustrium nobiliumq[ue] Dominarum,

...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

*Infantes
tenelli
crudeli-
ter occisi
in sepul-
cro adhuc
integri.*

modius ac verisimilibus fabulari posset. Exitum & catastrophem hujus tragœdiæ in Grundlacentis cœnobii origine ac monumentis aliquando leges. Hos innocentes martyres ipse meis oculis vidi meisq; manibus contrectavi. Puella tota ita adhuc integra est, ut putes, eam vix ante unum annum emigrasse, adeo nihil prorsus adhuc in ea apparet cineribus simile. Masculi vero vel puelli pectus est humoribus & aquis, quæ per parietem sudantis hiberno frigore templi descenderunt in parieti contiguum sarcophagum, aliquo modo læsum in cineres resolvi cœpit. Caput tamen, humeri & crura integra adhuc sunt nec tantillum immutata. Adeo mirifice ostendit divina Majestas, quàm innocenter perierint isti infantes, quorum animæ vere cœlestes clamabunt in die extremi judicii contra tam immanem adeoque crudelissimam matrem, quæ nec suo pepercit sanguini, modo infano ac omnibus modis detestando amore fruiliceret. Adeo verum est, quod à Seneca dicitur: Amare & sapere ne diis quidem ipsis concessum esse.

Seneca.

*Tumilia-
sca, Rhe-
via tra-
ctus.*

*Episcopus
Churien-
sis uxora
tus.*

COXIENSE, Caziense vel Caczesiense illustrium nobiliumq; Dominarum, ab omni professione, voto ac ordine immunium ac liberarum (quas vulgo Canonissas vocant, quibus item liberum est prodire iterum & nubere) amplissimum in Tumilia-sca, superioris Rhætiæ tractu, ad posteriorem Rhenum situm collegium, fundatum est pro 12. nobilibus puellis, harumq; gubernatrice Abbatisa, in honorem S. Apostolorum Petri ac Pauli, anno gratiæ per Christum reparatæ 760; decimo nimirum gubernationis Regis Dagoberti, à Domino Victore XV. Episcopo Churienſis Ecclesiæ, legitimo filio D. Paschalis, Churienſis Episcopi Comitissq; Brigantini & Sancta Esopeja conjugè, Rhætiæ altæ Comitissa ac antistita Churienſi. Hunc Dominum Victorem, tunc adhuc Presbyterum, pater Paschalis Episcopus, decimo sexto anno gubernationis Regis Theoberti, hæredem omnium bonorum suorum, in Tumiliaſca aliisque Rhenensibus locis sitorum, instituit, ut est in vetustissimo & maxime prolixo fundationis Katziensis diplomate. Fundator in choro hujus templi

templi quiescit, cuius tumulo talis est superaddita Inscriptio: Victor, Episcopus Curiensis, unà cum matre sua fundator hujus monasterii, & cum eo Paschalis, Episcopus Curiensis, genitor & antecessor ejus. Hujus cœnobii Abbatissarum non quidem integer, sed talis tamen à me collectus & confusus est catalogus:

1. Domina *Vespula*, Paschalis Episcopi Curiensis filia, Abbatissa Comitissa Brigantina, D. Victoris fundatoris Germana foror, cuius brevem genealogiam hoc loco subijcere volui.

Vigilius, Comes Brigantinus & Rhetia: Præses, genuit

Dominum *Paschalem*, Episcopum Churiensem, qui ex Domina *Esopeja*, sancta foemina & antistita Churiensi (ita enim in diplomatibus nominatur) excepit

Paulum, Comitem Brigantinum.

Castoriam, Comitissam,

D. *Victorem*, Episcopum Churiensem & fundatorem Coxiensis.

Vespulam, primam hic Abbatissam.

Ursicinam, monialem ejusdem cœnobii.

2. D. *Juditha* Abbatissa, sed quo tempore illa præfuerit, ignoratur, quemadmodum de his etiam, quæ eam antecesserunt & secutæ sunt, nihil certi aut memorabile assignatum esse constat.

3. D. *Regula* à Reichenbach.

4. D. *Ita* à Wacz.

5. D. *Agnes* ab Embs.

6. D. *Anna* de Schawenstein, quæ obiit año Domini 1325.

7. D. *Guta* (quæ magistram sese scripsit ordinis S. Augustini) præfuit anno Domini 1358.

8. D. *Guta* à Schawenstein, filia Burcardi Equitis aurati præfuit anno Domini 1369. Sub ejus gubernatione calamitose incendio totum ferè cœnobium periit: quod ab hujus Abbatissæ cognato quodam prædivite, Domino Alberto à Schawenstein, mille aureos ad restitutionem in cineres collapsi Gynæcei conferente, quasi secundario erectum ac præclare instauratum est, qui & sibi & posteris suis perpetuam in hoc monasterio sepulturam ordinavit, ad quam pervenerunt postea Rudolphus à Schawenstein.

Paulus

*Chronologia
Monasterio*

S. III

wenstein cum uxore Adelhaide, Burcardus, Eques auratus, Rudolphi hujus filius, Gotfridus item Eques auratus, Albertus secundus fundator, Joannes Eques auratus, Ego & Eglolfus de Schauwenstein, magni ejusdem collegii benefactores. Obiit tandem Abbatisa ista D. Guta anno Domini 1382.

9. *D. Verena* Feistlina successit Dominae Gutæ. Præfuit adhuc anno 1386. an vero diutius, incertum est. Sub ea erigi cœpit iterum collapsum in favillas cœnobium.

10. *D. Wandelburgis* præfuit anno Domini 1401.

11. *D. Hildegardis* à Reitnow successit Wandelburgi. Aliud de ea invenio nihil.

12. *D. Ursula* de Altmartshoven præfuit año Domini 1468.

13. *D. Margareta* à Reitnow, ædificatrix egregiæ Basilicæ Caczienfis ab anno Domini 1496. usq; ad annum Domini 1498. quo perfecta & absoluta est. Obiit anno Christi 1508.

14. *D. Clara* à Reitnow deceffit ex hac vita anno Domini 1525. tumultuante undiq; in ecclesiasticas personas totius Germaniæ rustica plebe.

15. *D. Scholastica* à Reitnow præfuit 12. annis. Obiit anno Christi 1537.

Rhetium, arx, à qua Rhetia nomen habet. 16. *D. Catharina* de Marmoribus, humanissima ac optima, optimisq; prognata Domina, soror magnifici ac illustris viri, D. Joannis de Marmoribus, Domini in Rhetio, arce non procul à posterioris & superioris Rhenorum confluxu, medio itinere inter Katzesiense cœnobium & Churiam Rheticam sita. Hæc laudabilis Domina eligitur anno Domini 1537. Præsidet hoc adhuc currente Jubilæo. Habet adhuc apud se unam tantum Canonissam, D. Ursulam de Sacco nobilissimæ gentis Rheticæ, in S. Georgii monte supra Inlantzium oppidum Rhenense habitantis. His sacrum facere & concionari solet etiam hac adhuc tempestate egregie doctus vir Dominus *Georgius Svidegerus* Rhætus, nuper Churiensium Canonicorum cœtui insertus, in cujus gratiam tale à mei idyllion heroicum de Christi Jesu, Domini ac Liberatoris nostri meritis, anno Domini 1548 illic conditum & templo Coxienfi inscriptum est, sumtis ex Divo Augustino

stino antithesibus, eleganter totum Christum humano generi depingentibus, quibus tu quoque, pie lector, unà nobiscum fruere.

*Huc, mortalis homo, tua corda & lumina stecte
Ac animo comprende tuo, quo Christus amore
Te sit complexus, Patris ingens filius ille,
Cujus recta sequi merito vestigia debes.
Pauper is est factus, quo te ditaret abunde.
Contemptus mundo, quo tu cœlestis in arce
Urbis honore novo ornareris perpetuoq.
Captus, ut ex omni te carcere liberum ubiq.
Redderet. At duris vinculis ferrog, ligatus,
Ut peccatorum è nodis te solveret, atq,
Imminem faceret Solymarum ad mœnia civem.
Horrentem pro te de spinis ipse coronam
Gessit, ut æterno in cœlis diademate frontem
Ornaret saceretq, tuam super omnia pulchram.
Vulnera quinetiam pro te quam plurima passus,
Ut tua sanaret medicamine vulnera tali.
Pro te mortuus, ut te ad vitam suscitaret illam,
Quæ sanctis ante hæc est secula cuncta parata,
A morte æterna, à Phlegethontis libera flammis.
Et tumulo æthereas victor surrexit in auras,
Ut te à peccatis faceret quoq, surgere, ab omni
Labe iniustitiæ, candorem mentis ad illum,
Qualem sacra à te Domini Scriptura requirit.
Ascendit cœlos, ut & ipse sequaris, & illic
Indivulsus ei seclis comes omnibus adsis.*

DOMINARUM AURACHIUM, vulgo Frauens
Murach/ monialium nobili genere natarum, ordinis
S. Dominici, Diœceseos vero Herbipolensis cœno-
bium amplum & præclarum, non procul à Pegnesi &
Aurachii fluviorum confluentia, supra Erlangum, Brandenbur-
genfium